

Textes étudiés

Séquence 1 : Phèdre de Sénèque, la mise en scène des passions monstrueuses

Texte 1 : L'entrée en scène de Phèdre, p. 31-32, vers 85 à 114

Texte 2 : L'aveu de Phèdre à Hippolyte, p. 83-84, vers 646 à 671

Texte 3 : L'intervention du chœur sur la destinée humaine, p. 114-115, vers 959 à 988

Texte 4: Le monstre marin, p. 118-119, vers 1015 à 1045

Séquence 2 : Interrogations philosophiques et politiques, quelle place le philosophe doit-il avoir dans la cité?

En guise d'introduction

Cicéron, De oratore, l'orateur, une synthèse du sage et de l'avocat. Plaidoyer pour un intellectuel engagé. (bilingue)

Texte 5. Sénèque, Lettres à Lucilius, l'exhortation à la sagesse de « Persevera ut coepisti » à « transeat ». Le chemin de la sagesse demande maîtrise de soi et distance face à la multitude

Texte 6 Lucrèce, De natura rerum, II, 1-39. Le bonheur du sage épicurien, Le sage doit se retirer du monde

Texte 7 L'Eloge d'Epicure, Le héros philosophe

Texte 8. Sénèque, De Providentia, Il ne peut rien arriver de mal à l'homme de bien, de « Quare multa » à « Marcet sine adversario virtus » Le courage du sage, c'est de se bâtir une citadelle intérieure contre les coups de la fortune.

Sénèque de Tranquillitate Animi, IV (Que le sage doit s'engager, même si c'est difficile)

Sénèque de Otio, Le repos ou la retraite du sage, une voie médiane

Etudes d'ensemble

Les doctrines philosophiques après Socrate et leur engagement par rapport à la cité.

Le Stoïcisme et l'Epicurisme: deux positions par rapport au politique

La position de Lucrèce face à la religion

Séquence 3 : L'âge d'or, Réflexion politique ou topos littéraire?

Salluste Catilina, 9-10 De la grandeur des valeurs romaines d'antan

Lucrèce, De Natura rerum, v. 988-1010 La mort était naturelle et on l'affrontait naturellement, tandis qu'aujourd'hui les guerres et les ambitions la rendent présente partout.

Texte 9 Tibulle, Elégies, III, vers 35 à 56

Texte 10 Ovide, l'âge d'or, Métamorphoses

Texte I L'entrée de Phèdre v. 85-114

Phaedra Nutrix

scène 2 : vers 85-273 (*sénaires iambiques*)

Phaedra

O magna vasti Creta dominatrix freti, 85
cujus per omne litus innumerae rates
tenuere pontum, quicquid Assyria tenuis
tellure Nereus pervium rostris secat,
cur me in penates obsidem invisos datam
hostique nuptam degere aetatem in malis 90
lacrimisque cogis ? Profugus en conjunx abest
praestatque nuptae quam solet Theseus fidem.
Fortis per altis invii retro lacus
vadit tenebras miles audacis proci,
solio ut revulsam regis inferni abstrahat; 95
pergit, furoris socius ; haud illum timor
pudorque tenuit : - stupra et illicitos toros
Acheronte in imo quaerit Hippolyti pater.
Sed major alius incubat maestae dolor.
Non me quies nocturna, non altus sopor 100
solvere curis : alitur et crescit malum
et ardet intus qualis Aetnaeo vapor
exundat antro. Palladis telae vacant
et inter ipsas pensa labuntur manus ;
non colere donis templa votivis libet, 105
non inter aras, Atthidum mixtam choris,
jactare tacitis conscias sacris faces,
nec adire castis precibus aut ritu pio
adjudicatae praesidem terrae deam ;
juvat excitatas consequi cursu feras 110
et rigida molli gaesa jaculari manu.
Quo tendis, anime ? quid furens saltus amas ?
Fatale miserae matris agnosco malum ;
peccare noster novit in silvis amor.

Texte 2 L'aveu de Phèdre à Hippolyte, p. 83-84, vers 646 à 671
Nutrix Hippolytus Phaedra

Scène VII : vers 589-718 (sénaires iambiques)

Phaedra

Hippolyte, sic est : Thesei vultus amo,
illos priores quos tulit quondam puer,
cum prima puras barba signaret genas
monstrique caecam Gnosii vidit domum
et longa curva fila collegit via. 650
Quis tum ille fulsit! Presserant vittae comam
et ora flavus tenera tinguebat pudor ;
inerant lacertis mollibus fortes tori ;
tuaeve Phoebes vultus aut Phoebi mei,
tuusque potius - talis, en talis fuit 655
cum placuit hosti, sic tulit celsum caput ;
in te magis refulget incomptus decor ;
et genitor in te totus et torvae tamen
pars aliqua matris miscet ex aequo decus :
in ore Graio Scythicus apparet rigor. 660
Si cum parente Creticum intrasses fretum,
tibi fila potius nostra nevisset soror.
Te, te, soror, quacumque siderei poli
in parte fulges, invoco ad causam parem ;
domus sorores una corripuit duas, 665
te genitor, at me gnatus. En supplex jacet
adlapse genibus regiae proles domus.
Respersa nulla labe et intacta, innocens
tibi mutator uni. Certa descendere ad preces :
finem hic dolori faciet aut vitae dies. 670
Miserere amantis.

Texte 3 : L'intervention du chœur sur la destinée humaine, p. 114-115, vers 959 à 988

Choeur III

vers 959-990 (959-988b : vers anapestiques ; 959-968, 970-976, 978-988 : quaternaires ; 969- adonique-, 977, 988b : dipodie

Chorus

O magna parens, Natura, deum
tuque igniferi rector Olympi, 960
qui sparsa cito sidera mundo
cursusque vagos rapis astrorum
celerique polos cardine versas,
cur tanta tibi cura perennes
agitare vias aetheris alti ? 965

Ut nunc canae frigora brumae
nudent silvas, nunc arbustis
redeant umbrae, nunc aestivi
colla leonis
Cererem magno fervore coquant 970
viresque suas temperet annus ?

Sed cur idem, qui tanta regis,
sub quo vasti pondera mundi
librata suos ducunt orbes,
hominum nimium securus abes, 975
non sollicitus prodesse bonis,
nocuisse malis?

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit sparsitque manu
munera caeca, pejora fovens ; 980
vincit sanctos dira libido,
fraus sublimi regnat in aula.
Tradere turpi fasces populus
gaudet, eosdem colit atque odit.
Tristis virtus perversa tulit 985
praemia recti ; castos sequitur
mala paupertas vitioque potens
regnat adulter : o vane pudor
falsumque decus! 988b

Texte 4: Le monstre marin, p. 118-119, vers 1025 à 1049

Nuntius Theseus

Haec dum stupentes quaerimus, totum en mare 1025
immugit, omnes undique scopuli adstrepunt.
Summum cacumen rorat expulso sale,
spumat vomitque vicibus alternis aquas
qualis per alta vehitur Oceani freta
fluctum refundens ore physeter capax. 1030
Inhorruit concussus undarum globus
solvitque sese et litori invexit malum
majus timore, pontus in terras ruit
suumque monstrum sequitur. Os quassat tremor.
Quis habitus ille corporis vasti fuit ! 1035
Caerulea taurus colla sublimis gerens
erexit altam fronte viridanti jubam ;
stant hispidae aures, orbibus varius color,
et quem feri dominator habuisset gregis
et quem sub undis natus : hinc flammam vomunt 1040
oculi, hinc relucent caerulea insignes nota ;
opima cervix arduos tollit toros
naresque hiulcis haustibus patulae fremunt ;
musco tenaci pectus ac palear viret,
longum rubente spargitur fuco latus ; 1045
tum pone tergus ultima in monstrum coit
facies et ingens belua immensam trahit
squamosa partem. Talis extremo mari
pistrix citatas sorbet aut frangit rates.

Séquence 2 Interrogations philosophiques

Texte 5 Sénèque Lettres à Lucilius, I, 4,

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

(1) Persevera ut coepisti et quantum potes propera, quo diutius frui emendato animo et composito possis. Frueris quidem etiam dum emendas, etiam dum componis: alia tamen illa voluptas est quae percipitur ex contemplatione mentis ab omni labe purae et splendidae. (2) Tenes utique memoria quantum senseris gaudium cum praetexta posita sumpsisti virilem togam et in forum deductus es: majus expecta cum puerilem animum deposueris et te in uiros philosophia transcripserit. Adhuc enim non pueritia sed, quod est gravius, puerilitas remanet; et hoc quidem peior est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantum sed infantum: illi levia, hi falsa formidant, nos utraque. (3) Profice modo: intelleges quaedam ideo minus timenda quia multum metus afferunt. Nullum malum magnum quod extremum est. Mors ad te venit: timenda erat si tecum esse posset: necesse est aut non perveniat aut transeat.

Texte 6 Sénèque, De Providentia, II, 1-4.

Il ne peut rien arriver de mal à l'homme de bien

Quare multa bonis uiris aduersa eueniunt ? Nihil accidere bono uiro mali potest : non miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum superne deiectionum imbrium, tanta medicamentorum uis fontium non mutant saporem maris, ne remittunt quidem, ita aduersarum impetus rerum uiri fortis non uertit animum : manet in statu et quicquid euenit in suum colorem trahit ; est enim omnibus externis potentior. Nec hoc dico : non sentit illa, sed uincit et, alioqui quietus placidusque, contra incurrentia attollitur. Omnia aduersa exercitationes putat. Quis autem, uir modo et erectus ad honesta, non est laboris appetens iusti et ad officia cum periculo promptus ? cui non industrio otium poena est ? Athletas uidemus, quibus uirium cura est, cum fortissimis quibusque configere et exigere ab iis per quos certamini praeparantur ut totis contra ipsos uiribus utantur : caedi se uexarique patiuntur et, si non inueniunt singulos pares, pluribus simul obiciuntur. Marcet sine aduersario uirtus.

Texte 7 **Lucrèce De natura rerum, II, 1-19**
Le bonheur du sage épicurien

Suave, mari magno turbantibus aequora ventis 1
e terra magnum alterius spectare laborem;
non quia vexari quemquamst jucunda voluptas,
sed quibus ipse malis careas quia cernere suavest.
Suave etiam belli certamina magna tueri 5
per campos instructa tua sine parte pericli;
sed nihil dulcius est, bene quam munita tenere
edita doctrina sapientum templa serena,
despicere unde queas alios passimque videre
errare atque viam palantes quaerere vitae, 10
certare ingenio, contendere nobilitate,
noctes atque dies niti praestante labore
ad summas emergere opes rerumque potiri.
O miseras hominum mentes, o pectora caeca!
Qualibus in tenebris vitae quantisque periclis 15
degitur hoc aevi quodcumquest! Nonne videre
nil aliud sibi naturam latrare, nisi utqui
corpore sejunctus dolor absit, mensque fruatur
jucundo sensu cura semota metuque?

Ergo corpoream ad naturam pauca videmus 20
esse opus omnino, quae demant cumque dolorem,
delicias quoque uti multas substernere possint ;
gratius interdum neque natura ipsa requirit, 25
si non aurea sunt juvenum simulacra per aedes
lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,
nec domus argento fulget auroque renidet
nec citharae reboant laqueata aurataque templa,
cum tamen inter se prostrati in gramine molli 30
propter aquae rivum sub ramis arboris altae
non magnis opibus jucunde corpora curant,
praesertim cum tempestas adridet et anni
tempora conspergunt viridantes floribus herbas.

Ainsi, pour la nature physique, nous voyons qu'il est besoin de très peu de choses , quelles qu'elles soient, pour retrancher la douleur, et pour pouvoir aussi mettre à disposition maint plaisir. Cela étant, la nature elle-même ne réclame rien de plus agréable, même s'il n'y a pas) dans nos demeures des statues dorées de jeunes gens,tenant dans leurs mains droites des torches enflammées, afin que les lumières soient fournies en abondance pour les festins nocturnes, même si notre maison ne brille pas des reflets de l'argent et ne resplendit pas de l'éclat de l'or, même si les cithares ne font pas résonner les salles ornées de caissons et dorées, quand, entre amis, allongés sur l'herbe tendre, le long d'un filet d'eau, sous les branches d'un arbre élevé, à peu de frais , de façon agréable, on satisfait aux exigences du corps, surtout quand le temps sourit, et que la saison parsème de fleurs les herbes verdoyantes.

Texte 8 Lucrèce, I, 62-79 Éloge d'Epicure, le héros philosophe

Humana ante oculos foede cum vita jaceret 62
In terris oppressa gravi sub religione,
Quae caput a caeli regionibus ostendebat
Horribili super aspectu mortalibus instans, 65
Primum Graius homo mortalis tollere contra
Est oculos ausus primusque obsistere contra;
Quem neque fama deum nec fulmina nec minitanti
Murmure compressit caelum, sed eo magis acrem
Inritat animi virtutem, effringere ut arta 70
Naturae primus portarum claustra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit et extra
Processit longe flammantia moenia mundi
Atque omne immensum peragravit mente animoque,
Unde refert nobis victor quid possit oriri, 75
Quid nequeat, finita potestas denique cuique
Qua nam sit ratione atque alte terminus haerens.
Quare religio pedibus subjecta vicissim
Opteritur, nos exaequat victoria caelo. 79

Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam 35

tellus in longas est patefacta vias !

Nondum caeruleas pinus contempserat undas,

effusum ventis praebueratque sinum,

nec vagus ignotis repetens compendia terris

presserat externa navita merce ratem. 40

Illo non validus subiit juga tempore taurus,

non domito frenos ore momordit equus,

non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,

qui regeret certis finibus arva, lapis ;

ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant 45

obvia securis ubera lactis oves. non acies,

non ira fuit, non bella, nec ensem

immiti saevus duxerat arte faber.

Nunc Iove sub domino caedes et vulnera semper,

nunc mare, nunc leti mille repente viae. 50

Parce, pater : timidum non me perjuria terrent,

non dicta in sanctos impia verba deos.

Quod si fatales jam nunc explevimus annos,

fac lapis inscriptis stet super ossa notis :

«Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus, 55

Messallam terra dum sequiturque mari»

Aurea prima sata est aetas, quae, uindice nullo¹,
sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.
poena metusque aberant, nec uerba minantia fixo
aere² legebantur, nec supplex turba timebat
5 iudicis ora³ sui, sed erant⁴ sine uindice tuti.
Nondum caesa suis, peregrinum ut uiseret orbem,
montibus in liquidas pinus descenderat undas,
nullaque mortales praeter sua litora norant ;
nondum praecipites cingebant oppida fossae ;
10 non tuba directi, non aeris⁵ cornua flexi,
non galeae, non ensis erat : sine militis usu
mollia securae peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis
saucia uomeribus per se dabat omnia tellus,
15 contentique cibus nullo cogente creatis
arbuteos fetus montanaque fraga legebant⁶
cornaque et in duris haerentia mora rubetis
et quae deciderant patula Iouis arbore⁷ glandes.
Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
20 mulcebant zephyri natos sine semine flores ;
mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
nec renouatus ager grauidis canebat aristis ;
flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
flauaque de uiridi stillabant ilice mella.

¹ *vindice nullo* : sans personne pour punir

² *fixo aere* : sur des tables de bronze affichées en public (et où sont gravées les lois)

³ *ora* : le visage

⁴ *erant* <homines>

⁵ *aeris* : en cuivre, a pour épithètes à la fois *directi* et *flexi*

⁶ *legebant* <homines> : ils cueillaient ; attention au sens de *cornu* et *mora* !

⁷ *Iouis arbore* : l'arbre de Jupiter, c'est-à-dire le chêne